



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vbi quis malas suggestiones senserit precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

nam tuam, obsecrans te per suavissimum, piissimum, fidelissimum, amantissimum, atque misericordissimum cor tuum; per effusionem benedicti sanguinis tui, & per singulas miserationes tuas atque beneficia tua, aufer à me cor nequam, cor meum impium & ingratum, & quicquid in me tibi displicet, & da mihi pro illo sanctissimum cor tuum, aut cor secundum cor tuum deuotissimum, amantissimum, fidelissimum, mitissimum, castissimum atque obedientissimum quod tu ipse purifices, simplicesque tui amore vulneres, inebries, atque tuo cordi vnias.

Dulcis Iesu, da mihi veram atque iugem contritionem pro peccatis meis, cognitionem propriæ vilitatis & nihilitatis cum profundissima humilitate.

Da mihi emendationem vitæ meæ, & imitationem vitæ tuæ secundum altissimum atque perfectissimum beneplacitum tuum. Da mihi perfectissimam abnegationem, atque plenam relictionem mei ipsius, purissimam castissimamque nuditatem cordis, ardentissimam quoque ac perpetuam charitatem, qua tibi soli totus inhaeream, & te solum rectorem ac possessorem cordis mei iugiter habeam, omniaque tua & opera & beneficia in te, & in tui solius gloriam referam. Fac o misericordissime Domine Deus meus cruci tuæ me semper astare ea fide & deuotione, ea compassione & amore, quibus piissima mater tua fidelissimusque discipulus tuus quem diligebas, Ioannes, feruentissima quoque amatrix tua Maria Magdalena, tibi in passione ac morte tua assisterunt. Fac etiam dignum me fieri, cui ipsi quoque in hora mortis assisterent, meque protegant. Tu verò piissime & misericordissime Deus, animam meam de corpore non sinas egredi, nisi plenè tibi reconciliatam, atque per infinitas misericordias tuas, perque passionis tuæ merita purgatam, atque sine dilatione, sine impedimento ac medio abs te clementissimo amatore meo in regnum tuum suscipiendam inseparabiliterque tecum mansuram, Amen.

PHARETRÆ DIVINI AMORIS Libri Primi Pars III.

Comprehensens in se aduersus dæmonum insultus ac suggestiones, vitiorum, ac peccatorum oppugnationes, remedia præsentissima.

Vbi quis malas suggestiones sensorit, quantocius oret & dicat.

Domine Deus meus, quotiescunque maligna hæc cogitatio mihi ingeritur inuito, toties te adoro, laudo, & benedico: & toties pro illis tibi laudes illas suavissimas omnium angelorum offero & remitto: & præcipue eas, quas spiritus ille reprobus, qui mihi talia nunc suggerit, modo tibi caneret, si in bono perstitisset, ut vel hoc modo in tui laude illius expleam vices, Amen.

Contra impugnationes vitiorum, precatio.

Piissime Domine Iesu Christe, en miserum & mendicum vilissimumque me peccatorem, ad misericordiæ tuæ pedes prouolutum. En vulnera, plagas, languorem, & vitia animæ meæ, quæ ipse mihi, heu peccando, intuli, & nunc oculis misericordiæ tuæ sananda exhibeo.

Clementissime Iesu, miserere infirmitatis, captiuitatis & infelicitatis meæ, quibus misera